

deflevimus casum inmeritum, repentinum interitum patroni ac defensoris nostri, Karoli videlicet comitis excellentissimi, reflectamus interius ad merita sancti Ionati gloriosi confessoris Christi exequenda, nobis a Domino pio previsore nostro vice Karoli protectoris nostri vigilantissimi ad tutelam rerum nostrarum deputati, quem Deus, ut credimus, ad maiorem terrorem incutiendum hostibus undique sevientibus declaravit signo subsequenti.

Fol. 97'. Nec his tamen contenti, pro dolor! pessima pestis homo homini, homines, non ut homines, immo ut apri, tauri vel leones seu quolibet ferę insanę et silvestris aggressi quosdam illorum compedibus alligandos, manicis ferreis astringendos pro summula rerum sine miseratione patibulis affigendos a suis natis, coniugibus et parentum complexibus submoverunt et dolentes desolatosque captivaverunt, quosdam vulneribus inflictis crudeliter affecerunt et terram de cruore eorum effuso infecerunt, quosdam vero verberibus diutinis vexatos, stilla sanguinis artus perfusos multisque dehonestamenti certamini male addictos, viriliter tamen agentes ac tam pro animabus, quam pro rebus fortiter dimicantes longe a se non sponte tamen abiecerunt. Qui vero non fuerunt, licet amissis rebus, detractati et captivati Saliacensium equę subclamabant se reos satis infelices et miseros omnique calamitate iuste substratos ac substernendos, quia dimiserant a se sanctas inconsulte reliquias, conterentes nimirum atque obsistentes malignorum maligno capiti, quę repellebant nec sinebant calca-neum inimici sibi appropinquare¹ vel usquequaque obesse. Proinde iterum atque iterum inclamabant conquerentes, flentes atque eiulantes auxilium Domini et sanctissimi confessoris sui Ionati, sed praecipue sanctissime virginis Eusebię, cuius familiare contubernium habebant in villa Saliacensi ex antiqua predecessorum regum donatione, eorum scilicet, qui sacram sacra baptismatis unda virginem sponsamque spetiosissimam Deo initiavere. Dicebantque ad alterum: 'Quid igitur faciemus? Paulo ante dapifero Balduino vices patrocinii usurpante super nos, pondera argenti probati igneque examinati equa trutina marcarum bissena libravimus, nunc de preda reducenda eidem forsitan maiore parte iam consumpta centenarium numerum in bis quinquagenis solidis integrum exsolvemus et totidem aut eo amplius patrono antecessori Hugoni scilicet Hoisgiensi, ad hoc nos in sua cogenti, facturum pacem in proximo cum Willelmo recens comite substituto, velimus nolimus, nec, ut remur, accepturo, immo dedignaturo parva de nostris sumere deferemus. Minatur enim tormenta, cruces et verbera, si non remetiamur² quantocius eandem et maiorem summam, quam et dapifero,

1) 'appropaire' hs.

2) Ueber der Linie.